



Diatribē theologica de aeterna Christi sponsione

<https://hdl.handle.net/1874/341652>

DIATRIBE THEOLOGICA
DE
Æterna Christi
S P O N S I O N E.

P A R S P R I O R.

Q U A M,

DIVINA ANNUENTE GRATIA.

S U B P R E S I D I O

Doctissimi Clarissimique VIRI,

D. PETRI van MASTRICHT,

Philos. ac Theologiæ Doctoris, hujusque in Illustri Academiâ
Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

publicè tueri conabitur,

ARNOLDUS DE BLANKENDAEL, Sylvæ-Duc. Brab.

A. diem 4. Junii, hora primâ pomeridianâ.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, cœc Iœc xc.

Amplissimis ac Gravissimis VIRIS,

D.D. CORNELIO ACKERSDYCK,
J. U. D.

D.D. HENRICO ACKERSDYCK,
J. U. L. ac Scabino dignissimo :

Reipublicæ Sylva-Ducensis Senatoribus Consultissimis,
Prudentissimis.

D. HERMANNO ACKERSDYCK,
J. U. D.

Cognatis suis charissimis , amantissimis , summo amore &
reverentia , ex intimo cordis affectu , prosequendis , suspi-
ciendis.

N E C N O N

Vitæ morumque integritate conspicuo VIRO,

D. WILHELMO HUETINCK,
Pharmacopolæ peritissimo , artisque medicæ expertissi-
mo , Ecclesiae hujus urbis Ex-seniori , Cognato suo per-
dilecto , plurimum honorando.

*Primitias basce Theologicas , ut & se ipsum ,
ea quæ par est , observantiâ ,*


dicat & consecrat ,

ARNOLDUS DE BLANKENDAEL , Resp.

DIATRIBE THEOLOGICA
DE
ÆTERNA CHRISTI
SPONSIONE.

P A R S P R I O R.

I.  cederis gratiæ æterni, seu consilii pacis, inter Patrem & Filium; opus præcipuum, ex parte Filii quidem, fuit sponsio. Quando enim Pater postulavit & invenit, qui universam causam peccatoris electi in se susciperet Psal.

XL. 7. quando Filius in se suscepit, ut postulatum illud Patris faceret. Ibid. vers. 8. & 4. ut animam suam daret in  Jes. LIII. 10. quando Pater susceptionem illam admisit, sibique in filio complacuit Matth. III. 17. eoque reatum electorum ipsi imposuit Jes. LIII. 6, 7. procul omni dubio, Filius pro ipsis sponspondit, à quo  γέγονε, melioris fœderis sponsor factus est. Heb. VII. 22. Cujus fructum ac sensum, tanto desiderio anhelarunt fideles V. T. Psal. CXIX. 122. Jes. XXXVIII. 14. Ipseque sponsor conferendum postulat. Job. XXXIII. 24. Zach. IX. 11.

II. Super ista sponsione, duo potissimum contenduntur: alterum inter Christianos & Socinistas: alterum inter ipsos Fratres Reformatos. Socinistæ, ut fortius inficiantur æternam sponsoris existentiam, & eadem operâ, à negotio salutis humanæ, secludant ejus satisfactionem: omnem negant sponsionem eternam, & quando  melius.

meliорis fœderis sponsorem, Apostolos appellat Jesum nostrum, non alium intelligunt, quam, qui in tempore, pro Deo apud hominem sponsonderit, futurum certo certius, ut Deus, sibi obedientibus, suaque præcepta servantibus, remissionem peccatorum conserat & vitam æternam. Schlichting, in Heb. VII. 22. Miseram hanc sponzionem, quâ pro fide Creatoris, fidem interponit creatura, nos hic non morabimur.

III. Alterum super natura hujus sponzionis, inter ipsos Orthodoxos, nuper contendи ceptum, est: *num sponsio Christi æterna, magis accedat ad Jure Consultorum fideiussionem; an ad eorundem expromissionem?* Sponsio interim, per quam Christus, in æterno pacis consilio, suis fuerit surrogatus, per quam electi omnium seculorum, salutem fuerint consecuti, utrinque recipitur. Dissidium Veteribus quidem videtur fuisse incognitum, usque ad excessum Celeber. D. Cocceji, qui tuebatur fideles V. T. usque ad actualē Christi solutionem, existitisse sub reatu, ejusque conjectariis: quod ut commodius sustinerent, superstites ejus asseclæ, existimandum censuerunt, Christi sponsionem, accuratius dici *fideiussionem*, per quam principalis debitor manet sub reatu, usque ad solutionem præstitam, quando per *expromissionem*, idem penitus censemur liberatus.

IV. Cum autem in quæstione audiamus Jure Consultorum terminos, *fideiussionis & expromissionis*, & examinare constitutum habeamus, ad utrum horum proprius accedat Christi *sponsio* æterna: nemo non exspectabit, ut sibi in antecessum expediatur, quænam apud Jurisperitos sit vocum istarum potestas ac differentia. Fideiussionis igitur & expromissionis terminos, quatenus distincta notant, in foro civili natos, Scriptura ferè ignorat, contenta generali *sponzionis* voce mentem suam repræsentasse. Nec ingenuum existimaremus, super vocibus juridicis. Συζήνοεις παρέχει, prohibente Apostolo i Tim. I. 4. si non extorquerent Fratres

tres, hic nobis importunius obnientes. Ut igitur ~~ad aeregas~~,
acu quasi tangamus, in istam arenam paucis descendemus.

V. Quantum ergo ad vocem **עֶרֶב** à **רְבֵב** miscere,
quamvis negotiorum *mixtaram*, seu quævis commercia,
sonare videtur: subinde simplicem promissionem, cum
oblatione pignoris Gen. XLIV. 32. ordinariè sponcionem
quamvis, sive fidejussio sit, sive expromissio Prov. VI. 1.
Generalem istam significationem, apud Græcos etiam ob-
tinet ἔργον Heb. VII. 22. & ἔργοντος, quemvis scil. inter-
cedentem designans, seu fidejussor, seu expromissor cluat.
Imo & μεσίτης *Mediator*, qui se partibus contendentibus
admisceret seu interponit, sive simplici *annunciatione*, quo
solo sensu, ex Jure Civili apud Socinianos viget; sive
ἀπολύθραστος seu *redemptione* insuper I. Tim. II. 5. Apud Juris
Consultos etiam sponsor, fidejussor, expromissor, man-
dator, constitutor, reus &c. variis modis à variis confun-
duntur & explicantur. *Sponsor* strictissimè dictus, ipsis est,
qui sponte seu non rogatus, pro alio promittit *Gloss. primi*
in *Authent. de fidejuss.* Nonnunquam idem prorsus ipsis
sonat quod expromissor I. 7. §. 12. *quod fere de pact.* Aliis
sponsor idem est quod fidejussor, nisi quod fidejussor
rogatus; dum sponsor fidem suam, sponte interponit,
sic communiter *JConsulti*.

VI. Cæterum, & Scripturis, & Theologis, & *JConsulti*,
sponsio significationis est *generalis*, per varias species,
fidejussionis & expromissionis restringenda. Sic etiam fide-
jussor *J.C.* omnem illum generaliter designat, qui alterius
obligationem in se suscipit, & fidem suam pro alio, quo-
vis modo interponit I. 8. §. 2. ff. ad *SC. Velleianum*. I. 30.
§. 1. ff. *de pact.* Ut hoc nomine promiscue, apud eos ve-
niant mandator, constitutor, expromissor, fidejussor,
pecuniae constitutæ reus strictè dictus, qui vicem fidejus-
sorum sustinere dicuntur I. 4. §. ult. ff. h. t. Unde Cujacius
Observat. lib. XIII. cap. 35. *Expromissor quasi fidejussor di-*

etur l. 30. in persona §. 1. de pact. & in SC. Vellejano fidejussionis verbo continetur expromissio. Et l. 19. de in rem , paria hec sunt fidejubere , judicium pro alio suscipere , expromittere . Et apertius l. ult. quod cum eo &c. quasi fidejussionem esse videri, cum quis pro alio debitum suscipit, id est, cum expromittit. Specialius , illum JC. fidejuslorem putant, qui mediante stipulatione, pro debitore, fidem apud creditorem interponit, atque ita alterius principali obligationi accedit, in securitatem crediti. l. 93. §. 3. ff. de solut. Tandem expromissor JC. idem aliquando notat quod vindex & liberator, qui interveniendo, à manus injectione & nexus, liberabat reum, creditori addictum A. Gell. lib. xvi. Noct. Attic. cap. x. Conf. Goed. in l. 234. §. 1. de verb. signif. Et sic coincidet cum Hebraeorum Ηνι Psal. CIII. 4. Thren. III. 58. Levit. XXVII. 27. Job. XIX. 25. Etiam JC. generaliter sonat illam delegationem debiti , quæ propriè cesso, transport dicitur. Specialiter illam ipsis notat novationem, qua alius debitor substituitur Giphan. in Cod. ad l. 3. h. t. Vides in vocibus labyrinthum juridicum.

VII. Si jam ad rem proprius accedas , fidejussor etiam , non uno modo apud JC. definitur. Sunt qui generalius fidejussorem dicunt esse, qui pro alio fidem suam interponit : alii, qui pro alienis debitis intercedit. Plenius & accuratius , fidejussio definiri videtur : quod sit contractus accessorius, quo quis pro alieno debito, fidem suam, apud creditorem interponit, ut diligentius huic cautum sit, principali debitore nihilominus manente obligato. l. 1. §. 8. ff. de oblig. & A. Hic observa: 1. Quod fidejussio sit contractus accessorius, in quo primus debitor principalis est, & fidejussor accessorius tantum. 2. Quod fidejussio fiat pro debito tantum, non pro crimen. H. e. pro reatu pecuniario, aut, si pro crimen etiam; saltem ad peñam tantum pecuniariam. l. 4. ff. de Custod. reor. 3. Quod fiat apud creditorem, non autem apud Judicem. 4. Quod post fidejussionem, reatus

reatus principalis, maneat in primo debitore, ob quem
reatum, primus ille debitor, semper à creditore conveniri,
& solutio ab eo exigi potest: quin & ordinariè debet, nisi
scil. beneficiis ordinis & excusationis valedixerit. Novell. 4.
h. t. Authent. *præsentē*, c. h. t. Authent. *Sed hodie*, c. de
O. & *A.*

VIII. Tenemus, quid ex mente JC. sit fidejussio, vi-
deamus quid eisdem sit *expromissio*. Nim. est novatio per
delegationem, seu quæ sit interventu novæ personæ deben-
tis. Seu delegatio fiat per debitorem, seu per creditorem.
Alii expromissorem desiniunt, eum qui animo novandi in-
tervenit, & promittit id solvere meo creditori, quod ego
debeo l. ult. ff. ad SC. Macedon. l. 22. ad SC. Vellej. l. *septi-*
ma &c. Vinnius *ad instit.* lib. 3. tit. 16. definit, quod *no-*
vandi animo, alienam obligationem, in se transferat. Di-
stinguunt à fidejussione, tribus his potissimum differentiis:
1. Quod expromissor solus obligetur; fidejussor autem cum
alio. l. 37. §. fin. ff. de *oper. libert.* 2. Quod expromissor,
reus principalis sit; fidejussor accessorius. §. 5. *instit.* h. t.
3. Quod expromissione, prior obligatio extinguitur, &
alia per novationem suscipiatur l. 7. §. 8. ff. de *dol. mal.* l. 7.
in fin. de *oper. libert.* dum fidejussione, manet obligatio
primi debitoris.

IX. Proinde ad expromissionem, omnino requiritur
novatio, eaque adeo est necessaria, ut sit de essentia expro-
missionis, nec sufficiat, ut novandi animus, ex valde ve-
risimilibus & urgentibus conjecturis præsumatur, nisi &
expressis verbis declaretur. L. Ult. C. de *Novat.* Quid
autem JC. est *novatio*? Est prioris debiti, in alium debi-
torem transfusio atque translatio. l. 1. ff. de *novat.* & *deleg.*
seu, ut Vinnius, loco citato: *Expromittere & expromissor,*
in usu juris, is dicitur, qui alienam obligationem, in se sus-
cipit, liberato reo, aut eo nomine non obligato, cum tamen
obligari deberet. Ex quo perspicimus, ex JC. mente, non
talem

talem intelligi novationem, quâ debitum prius simpliciter aboleatur; sed transfundatur, ab alio suscipiat, ita ut creditor, ob traductionem & susceptionem, factam ab expromissore; in priorem debitorem, non amplius competat actio ad solutionem, sibi ab eo præstandam. Ut novatio sit potius *debitoris* quam *debiti*. Quamvis etiam, expromissioni nihil omnino obsit, qualiscunque in ipso debito alteratio: ut, quando creditor, loco solutionis strictè dictæ, quâ *idem* præcisè traditur, quod erat in obligatione: per satisfactionem admittit *tantundem* seu æquivalens. Nec cogitare quisquam potest, creditorem, admittingendo expromissionem, intendere debiti sui annihilationem; sed confirmationem ac certiorationem potius. Nec tamen abuno, prioris debiti *extinctionem*, penes expromissionem, à JC. frequentissimè urgeri: sed eā non aliam intelligunt, quam declaravimus. Scil. quia per novationem, debitum, à priore debitore, traductum est in expromissorem, adeo ut prior debitor amplius conveniri non possit: censetur in eo extinctum, seu potius, respectu ipsius, sublatum. Sed notandum insuper, quia debitum per novationem transit tantum, non autem abolitum est simpliciter; per expromissionem non deserit aut excludi solutionem satisfactionemque, ut primus debitor, absque ullo respectu ad solutionem, solo verbo expromissionis, liberatus dici debeat: manente enim eodem debito, per novationem transuso; eadem manet obligatio de solutionem, quamvis non jam à primo debitore; sed ab ejus expromissore præstanta. Licet, seu imprudentià creditoris; seu fallaciâ aut impotentia expromissoris, aliave causâ, non raro fiat, ut, ex accidente, debitum traductum, absque solutione pereat. Proinde solutio expromissioni nequaquam est opponenda; sed ei omnino involvenda: si non ut præsens; saltem ut, per expromissionem, futura.

X. Satisfecimus, opinor, terminis juridicis, saltem quid

quid nobis de eis videatur. Ante autem quam causam hanc Theologicam , seu divinam potius, Dei Patris ac Filii , importunitate obnitentium fratrum , ad tribunal juridicum rapi patiamur ; cavendum omnino monemus , ut causas Theologicas, Jurisprudentiae affines, ejus placitis & hypothesis , non nimium adstringamus , tricis aliis implicandi inextricabilibus. Sic enim in Theologiâ non habebimus fædus testamentarium : non habebimus nisi unum testamen- tum , quia non nisi unum , morte testatoris ~~κεκυρωθεντος~~ , leges civiles admittunt : imo , ante Christi mortem , nullum omnino testamentum habebimus : nec fideles ante Chri- stum , quicquam ex testamento acceperint : non habebimus mediatorem Διαλυθρότητος αντιτυχος ; sed internuntium tan- tum ; quia priorem non nōrunt jura : non habebimus , aut veram peccatorum remissionem , aut veri ac proprii nomi- nis satisfactionem ; quia , ex sententia Socini , hæc non consistunt legibus. Præprimis divinæ hujus sponsionis ne- gotium , placitis juridicis , curiosius non est adstringendum ; cum sit causa cœlestis , quæ non subest foro cuivis sublunari : cum talis sit , cuius analogam , nec expertum est ; nec expe- rietur , tribunal quodvis civile , cui proinde dirigendæ , frustra suas curas , suas leges impenderent Jurisperiti. Est inter divina , inter Mysteria , quæ captum humanum ex- cedunt , nisi quod Deus , ut concipiamus , nobiscum quasi balbutiat.

XI. His præstructis , quia ita placet , fratribus ἐξ ἀνα- rias , experiamur , vel apud forum juridicum : siue sponsio Christi eterna , veri ac proprii nominis fiducijs , an expro- missio ? Non admittemus apud tribunal quæstionem : An Christus sit talis sponsor , qui liberat solutione pro aliis : an contra substitutione nova obligationis ? Et multo etiam minus: an sola sponsio Christi , præcisa solutione , Pares omnimode li- beraverit , ut expromissio liberat , & debita reorum actu peri- mit ? Prout sycophanta quidam , cui susque deque est ,

num verum loquatur , num falsum , ut novitatum hyperaspistes cluat quovis titulo , & postquam sibi h̄c adversos insimulasset , quod affirment , Christum non solutione ; sed novæ obligationis substitutione liberasse , aut sponsione , præcisâ solutione , fideles liberasse , quasi laceratis cum Pontifice vestimentis , horrendo etiam eiulatu exclamat : non nisi attonitus lego exhibitam questionem , stupetque ad eam mecum &c. Item , horret animus &c. Imò & nos detestamur talem sponsorem , qui non solutione ; sed substitutione novæ obligationis , cuius sponsio , præcisâ solutione , Patres V. T. liberaverit : sed ex adverso affirmamus , solutione verâ , quamvis , ex statuto æterni consilii pacis , suo tempore certo certius ex promissione futurâ , liberasse , quæ etiam solutio , suo modo præsens dici possit , quatenus æternitas , omnibus temporum intervallis coëxistit.

XII. Jam litem , præstitutis legibus , contestabimus apud tribunal juridicum , ac sustinebimus , sponsonem Christi æternam , ex placitis JC. non fuisse veri ac proprii nominis *fidejussionem* , quemadmodum insinuat nobilis seu obscurus potius ille Sycophanta. Quia *primo* in sponsione Christi , exulant pleraque fidejussionis , juxta leges civiles , requisita essentialia : seu illa consideretur *cum* ; seu *absque* renunciatione beneficiorum ordinis & excussionis. Dum enim 1. Fidejussio qualiscunque , ex statutis JC. ordinariè fit apud creditorem : hæc facta est pro debitore apud *Judicem* , ne cum existente creditore : fatentibus ipsis contradictibus , Deum , in negotio satisfactionis , se habere , non ut creditorem , quod is absque satisfactione omni , debitorem possit dimittere ; sed ut *Judicem*. Dum 2. in fidejussione apud *Juris Consultos* , agitur ad *debitum* tantum , seu ad solutionem pecuniariam : h̄c ad *crimen* & ad *pœnam corporalem* , imo ad *capitalem* agitur , fatentibus qui h̄c stant à parte adversâ. Dum 3. in fidejussione , primus debitor est *principalis* , & fidejussor

accesso-

accessoriis tantum, per probata: h̄c sponsor, per expromissionem, est *principalis*, imò unicus. Dum 4. in fidejussione quavis, debitum exigi potest; seu à debitore, seu à sponsoře, satentibus adversariis: h̄c exigi nequit nisi à sponsoře. Dum 5. in fidejussione, debitor consideratur *ut solvendo* par; frustra enim à debitore solutionem exspectaveris, quem certo certius nōsti, nec esse, nec futurum unquam *solvendo*: in nostra Christi sponsione, debitor seu peccator, consideratur ut simpliciter impotens ad solvendum, agnoscētibus adversariis. Dum 6. in sponsione fidejussionis, excluditur novatio, urgētibus ipsiſ adversariis: in nostrā hac sponsione, maximē involvitur, ut jam docebimus. Dum 7. in fidejussione *manet* reatus primi debitoris, ex quo ipsum, si vult, creditor convenire potest: in nostra hac sponsione, cessat omnis reatus primi debitoris, ut conveniri amplius non possit, sicut docebimus in progressu. Dum 8. in fidejussione, quatenus tali, nisi fidejussor renunciaverit beneficiis ordinis & excussionis, creditor potest, imò volente fidejussore, tenetur solutionem petere à primo debitore, nec ei, ante quam hoc fecerit, obstrictus est ad solutionem fidejussor: in nostrā hac sponsione, nec Christus sponsor potuit; nec Deus creditor, debuit aut potuit exigere solutionem à primo debitore.

XIII. Hinc secundò, sponsio Christi, non fuit fidejusso qualiscunque, quia Deus quārebat certam & immotam primi debitoris liberationem, quae fidejussionem, quatenus talis est, non sequitur. Quando per fidejussionem, creditori integrum manet, praterito fidejussore, adversus debitorem agere, eumque carceri mancipare usque ad solutionem. Ex quo debitoris liberatio in incerto maneret, imò, si impotentia subsisteret, desperata fieret.

XIV. Porro tertio, veri ac proprii nominis fidejussionem à filio, non exigebat Pater, quia infinita suæ sapientia, illa non uno modo obnittitur. Quis enim prudens

fidejussionem ambibit , ut per eam sibi integrum maneat ,
solutionem , à suo debitore liberando , exigendi , quem
jam ante novit , nec posse solvere jam , nec futurum un-
quam ut possit ? Quis fidejussorem quæret pro debitore
certum liberando , ut à debitore , qui finitus est , possit
exigere solutionem debiti infiniti ? Quis etiam pro debitore
certum liberando , talem quæret sponsonem , (qualis est
fidejusso) per quam incertum maneat , sitne liberandus
nec ne : cum per fidejussionem , penes arbitrium stet cre-
ditoris quidem , ut præterito fidejussore , debitorem im-
potentem excutiat , & non solventem , in vinculis detineat ,
usque ad ejus mortem ; & fidejussores , quatenus simplici-
ter talis , ut creditorem urgere possit , quibusvis legitimis
mediis , in quibus est incarceratio , debitorem ante excu-
tiat . Quibus omnibus incerta redditur debitoris liberatio .

Corollaria Defendantis.

- I. **D**eum dari non tantum ex Scripturâ ; sed & ex natu-
ra demonstrari posse affir . nec non :
- II. **E**numque esse simplicissimum , & omnis compositionis ex-
peritem .
- III. **O**mnipræsentem secundum essentiam .
- IV. **O**mniſcium : sub cuius scientiam omnia cadunt , etiam
singularia , & futura contingentia .
- V. **N**ec non libera creaturarum rationalium actiones .
- VI. **Q**uas Deus certo novit futuras .
- VII. **N**on per scientiam quandam medium :
- VIII. **S**ed vi sui aeterni , absoluti & immutabilis decreti .
- IX. **Q**uo etiam unicuique homini , certus & fixus vita termi-
nus constitutus est .

F I N I S.

DIATRIBE THEOLOGICA
DE
Æterna Christi
S P O N S I O N E.
PARS POSTERIOR.

Q u a m,
DIVINA ANNUENTE GRATIA,
SUB PRÆSIDIO
Doctissimi Clarissimique VIRI,

D. PETRI van MASTRICHT,

Philos. ac Theologiz Doctoris, hujusque in Illustri Academiâ
Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

publicè tueri conabitur,

ARNOLDUS DE BLANKENDAEL, Sylva-Duc. Brab.

A. diem 6. Junii, horâ semi-undecimâ.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academice
Typographi, clc xc.

*Admodum Reverendis, Clarissimis, doctrina &
pietate Celeberrimis VIRIS,*

- D. PETRO VAN MASTRICHT, L. A. M.
& Phil. Doct. Præfidi venerando,
D. MELCHIORI LEYDECKER,
D. HERMANNO WITSIO, Ecclesiæ Ultrajecti-
næ Pastori fidelissimo, vigilantissimo, Præconi suavissimo
ac disertissimo :
- S. S. Theol. Doctoribus solidissimis, ejusdemque facultatis
in hac celeberrima Rheno-Trajectina Academia Professo-
ribus dignissimis, Orthodoxæ veritatis contra quosvis ad-
versarios propugnatoribus acerrimis, in studiis suis Theo-
logicis, Præceptoribus fidelissimis ac facillimis, eoque no-
mene in æternum summopere sibi colendis & honorandis.

U T E T

Ornatissimo & magnæ spei JUVENI,

- D. CORNELIO ACKERSDIJCK,
S. S. Theologiæ in Illustri Academia Lugduno-Batavâ
Studio ingenioso, arctissimo sibi familiaritatis vinculo
juncto, amico intimo.

Disputationem hanc Theologicam

sacram facit,

ARNOLDUS DE BLANKENDAEL, Resp.

DIATRIBE THEOLOGICA

D E

ÆTERNA CHRISTI
S P O N S I O N E.

P A R S P O S T E R I O R.

XV.  num adhuc pro quarto subjungemus ,
quod foedus gratiæ æternum , Patrem
inter & Filium , super certâ & infalli-
bili beatificatione peccatoris , (à quo
rēp̄tōr̄ dīazōn̄ ē̄yūr̄ Christus
appellatur Heb. VII. 22) Filii fide-
jussionem non ferat . Dum enim per hoc foedus , Pater quæ-
sivit tales , qui universam peccatoris causam in se suscipe-
ret : dum Filius illam causam , absque ullâ reservatione su-
scipit : dum in ista filii sui suceptione Pater acquievit , cer-
tus insuper peccatorem , certo liberandum , solvendo nun-
quam futurum ; non potuit sane fidejussionem quærere .
Quia per eam potuisset præterire filium , quod erat con-
tra pacta , potuisset , eum prætereundo , injuriā afficere ,
potuisset ipsum , omni mediatoris ac redēptionis gloriā
exuere : potuisset ab alterā parte solutionem , ubi inventu-
plane impossibilis erat , sectari , ad versus tenorem foederis . Pluta
in hanc rem suppetent ab expromissione , jamjam demon-
stranda : stante enim fidejussione , ruit expromissio , &
ex adverso , stante expromissione , corruit fidejusso .

XVI. Jam etiam fidejussionis Patronos audiamus . Cau-
santur primò , quod Christus dicatur ē̄yūr̄ Heb. VII. 22.
h. est , sponsor , ergo fidejussor . Resp. Perinde est ac si

causeris; animal est, ergo homo: cum εγγυηθει sponsor sit significationis generalis, tam expromissorem quam fiducijsorem notans, ex subjecti materiâ, & analogia contextus discernendum. Hinc Hœsychio quidem, εγγυηθει idem est quod επασχεται, ab οπασχεται, quod est suum agnoscere dictum aut factum: & εγγυωνται τιναι, ipsi est sponsione & intercessione liberare, uti εγγυωνται est, accepta sponsoris fide, dare. hoc est, satis accepto liberare. Quod apud Jurisconsultos receptissimum est, ex l. 7. ff. de verb. signif. Occurrunt: repugnat textui, expromissorem intelligi, quia sponsio Christi, ibi ponitur in ejus sacerdotio: est sponsor quatenus Sacerdos: Sacerdos non liberat expromissionem; sed solutione. Resp. 1. Sacerdos quatenus talis, nec fidejussor est, nec expromissor; nec liberat fidejussione magis quam expromissione: sed oblatione. 2. Sponsio Christi non consistit in ejus sacerdotio: sed sacerdotium fundatum est in ejus sponsione, & exsecutio, non essentia sponsionis, est in sacerdotio, quippe quo promissum praestit. Causantur secundo: *Christus moriens*, dicitur mori & satisfacere pro nostris peccatis Matth. XX. 28. Rom. IV. 25. 1. Tim. II. 5. 1. Pet. III. 18. Fidejussor pro aliis solvit; sed expromissor pro se; cum factâ expromissione, solus sit debitor. Resp. Expromissor Christus, debitum peccatorum nostrorum, expromissione non abolitum; sed in se traductum, adeoque in se existans, velut nostrum debitum, moriendo sustulit, unaque seipsum, solvendo liberavit ab expromissionis reatu, prout etiam sit apud fidejussionem. Coincidit fere quod causantur tertio: *Christus dicitur etiam mortuus pro nostris peccatis* Rom. IV. 25. Gal. I. 4. 1. Cor. XV. 3. 1. Pet. II. 24. ergo tempore passionis adhuc erant peccatorum debita & reatus. Resp. Erant omnino, sed in Christo, utpote per expromissionem traducta. Causantur quartu locum 1. Cor. XV. 17. si Christus non resurrexit, vana est fides vestra, estis adhuc in peccatis vestris. *Vbi Pan-*

Paulus docet expressis verbis, nos esse in peccatis, si Christus mortem non viciisset; sed sub onere defecisset. Resp. Utique, quia eo casu, divinus non fuisset, vel fidejussor, vel expromissor, proinde nec nostrum reatum, verè suscepisset in se: & quid mirum, si eo casu, essemus adhuc in peccatis nostris? Eodem abit, quod pro *quinto* causantur: Christus non pro se; sed pro nobis obtulit, ut veteres Sacerdotes offerebant, nomine peccatorum Heb. V. 1. — & VII. 26. 27. & IX. 14. In expromissione non potest offerri nomine priorum rerorum: obinet hoc in fidejussione &c. Resp. Christus, non pro se; sed pro nobis obtulit: quia debitum quod offerendo solvit, à nobis per expromissionem, in se suscepit, non extinctum utique per expromissionem; sed traductum tantum, ut sépius monuimus: nisi quod, solvendo, & se liberaverit ab expromissione, & nos à reatu, prout etiam fieri consuevit à fidejussore. Causantur sexto: mansit post Christi sponsionem chirographum, adversus priores debitores, quod primò deletum est in cruce Col. II. 14. &c. Resp. Chirographo fideles V. T. non aliud continebantur, quam: 1. se peccatores esse. 2. peccatis suis mortem omnimodam demeritos. 3. eā etiam tam certo mactandos esse, quam sacrificia ista morte mactentur & comburantur: nisi 4. mortem illam, expromissione suā, Messias ab ipsis in se derivasset. Se proinde 5. vivā fide, fiduciam omnem habere in futuro illo Messiae sacrificio, quod suā hac sacrificeatione adumbretur. Hoc ergo chirographo, non profitebantur, sibi, post fide receptum sacrificium Christi futurum, ullum adhuc incumbere reatum; sed absque illo sacrificio, se futuros adhuc sub reatu: atque etiam antecedenter ad fidem illam, quam sacrificeatione contestabantur; se esse sub reatu illo, quem expromissor, pro fidelibus, in se traduxerit, & suo tempore, à seipso amolitus sit. Causantur tandem *septimum*: peccatorum remissio, non tantum est opus gratie; sed etiam iustitiae Dei. Est enim fructus

satisfactionis Christi. Eph. I. 7. Col. I. 4. Rom. III. 25. 26.
Heb. X. 18. *In expromissione, remissio debitorum, priorum reorum, non est actus justitiae, cui satis sit per passiones &c.*
Resp. Quis Juris Consultorum, unquam dixit, in expromissione, primum debitorem liberari, non ex justitia; sed ex solâ gratiâ? Nunquid strictissima justitia exigit, ut propter solutionem, ex promissione accipiendam, liberetur primus debitor? Licet, per accidens, seu per imprudentiam creditoris, admittentis expromissorem inidoneum; seu per fallaciam expromissoris, non raro fiat, ut primus debitor, absque omni solutione quidem liberetur, verum non ex gratiâ; sed ex justitia: hoc autem in expromissione nostrâ, quippe divinâ, fieri simpliciter non posse, ipsimet agnoscunt nobis hic oppositi.

XVII. Stitimus ingenuè, quanquam concisius, utriusque partis contendentis rationes, & concludimus, Christi sponsonem, nequaquam fuit fideiunctionem: potius igitur est expromissio. Potius dico, non ad hoc tantum, ne statuamus eam esse naturæ prorsus juridicæ; sed etiam, ut comparativo & restrictivo innuamus: quanquam in sponsonie hac divinâ, omniumque perfectissimâ, agnoscamus essentialia expromissionis, quæ veram spirant perfectionem; nequaquam tamen admittere posse, ea ejus circumstantialia, quæ ab imperfectione humanâ trahunt originem. Scil. ut in collectione attributorum divinorum, ea creaturarum in Deo admittimus, quæ perfectionem spirant, & removemus, quæ imperfectionem implicant: sic in divinâ hac, omniumque perfectissimâ sponsione, id postulabimus æquissimum, ut quod imperfectionis est, removeare, & quod superest perfectionis, retinere liceat. Ab hoc resultabunt, variae interhumanam ac divinam expromissionem, differentes.

XVIII. Hinc primò, dum expromissio humana, pro debitore sit apud creditorem tantum; nequaquam vero apud

apud Judicem, quatenus talem, ut, si fortè creditor fuerit
Judex, Judicis personam debeat in litis contestatione exuere:
expromissio nostra divina, pro debitore apud Deum sit, non
tam sicut *creditorum* (ita enim in negotio satisfactionis,
Deum non considerari, apud Reformatos receptum est)
sed ut *Judicem*. Ratio discriminis est ab imperfectione hu-
manâ, per quam nemo, Judex sedere potest in propriâ cau-
sâ; scil. ne, ex studio partium, ius periclitetur: cessante
igitur, per supremi Judicis immotam justitiam & *επορευ-
μοληψίαν*, hoc periculo, non est quod obstet, quominus,
pro debitoribus expromissio fiat apud ipsum, non tantum
velut apud creditorem; sed &, quin potius etiam, ut apud
Judicem: cum præsertim absque hoc, nullam esset habitura
Judicem hæc expromissio.

XIX. Tum secundò, dum expromissio humana, non
admittitur pro crimen, aut saltem, non nisi ad solutionem
civilem: hæc ex adverso divina, pro crimen, & ad pœnam
quidem capitalem admittitur. Fundamentum differentiæ,
hæret in imperfectione humanâ, per quam, nec Judex,
nec debitor, nec expromissor, nec creditor, nec quisquam
creatus, potestatem habet in vitam humanam; ut quæ soli
Deo competit. Hac ergo sublatâ difficultate, per hoc,
quod expromissor noster, ut filius Dei, perfectum habue-
rit, in propriam vitam, dominium Joh. X. 17. 18. & Pater
Judex, potestatem habeat admittendi expromissionem filii
sui, ad pœnam capitalem; & filius offerendi vitam suam pro
criminibus electorum. Hinc nihil obstat, quominus ex-
promissio hæc divina, fieri potuerit ad pœnam maximè
capitalem.

XX. Porro tertio, dum ab expromissione humanâ di-
velli potest solutio; à nostrâ hac divinâ nequaquam po-
test: & hinc, dum apud forum civile, debitor expromis-
sione liberatur, præcisa solutione; in nostrâ hac, divelli
hæc nullo modo possunt, nec proinde dici potest, debi-

torem liberari per meram novationem , absque solutione . Radix discriminis est , in fallacia & imprudentia humana , per quam & creditor errare potest , admittendo expromissorem inidoneum : & expromissor fallare potest creditorem , non præstando expromissa . Hac ergo remotâ difficultate , per divinam , & Patris & Fili *αισφάλειαν* , non superest , nisi quod ab hac expromissione , solutio sit inseparabilis , & quod proinde debitor , hic non liberetur , sola expromissione , sed solutione expromissa .

XXI. Et hinc tandem quartò , dum in expromissione humanâ , debitor tali *novatione* liberatur , quæ subinde de-stituitur omni solutione : in divinâ nostra , peccator non liberatur , nisi tali novatione , quæ solutionem implicat , ut infallibiliter futuram . Ratio discriminis est in fallibilitate humanâ , per quam , ut creditor peccare potest in ad-mittendo insufficientem expromissorem , & expromissor in præstando eo quod expromisit . Et cum iniquissimum sit , creditoris & expromissoris peccatum , debitori imputare ; manet , penes expromissionem humanam , absque solutio-ne , sola novatione , debitorem jure liberari . Sublatâ igitur hac imperfectione , per infinitam , tum creditoris fa-pientiam , tum expromissoris fidem ; manet , peccatorem hac expromissione non liberari , nisi tali novatione , quæ infallibilem solutionem implicat , licet ut futuram .

XXII. His ergo præstitutis , sponsonem Christi æter-nam , perfectissimam esse expromissionem , determinamus . Quia *primo* omnia gestat expromissionis *essentialia* . Gestat enim 1. Novationem , quæ , ipsis urgentibus adversariis , est de essentiâ expromissionis . Duplex enim , in hac nostra divinâ sponsione , numeratur novatio : altera *personas* spe-ctat , quâ , per delegationem Patris , filius substitutus est peccatoribus Jes. LIII. 6.7. 2. Cor. V. 21. Rom. VIII. 3. Quam , adversus Socinum , non negabunt , sat scio , Fra-tres : altera debitum respicit : expromissione , non extin-
ctum.

Etum quidem ; ast alteratum tamen , quatenus pro *codem*,
in obligatione nostra , quod stricti nominis solutio exigere
potuisset , Deus admittit in expromissore *tantundem* seu
æquivalens, ut satisfactio solutioni succederet. Neque enim
privationem justitiae originalis, æternitatem peccati , atque
omnia illa mala in singulari , quæ sunt in catalogo pecca-
torum nostrorum Deut. XVIII. 15. — Levit. XXVI.

14. — aut Deus Pater exegit ; aut Filius præsttit :
quamvis interim æquivalens, ex rigore justitiae divinæ , &
Pater exegerit ; & Filius præsterit : quando nim. tale præ-
sttit , quo majus aut minus , exigi à Patre , pro nostris
debitis , ex justitiâ non potuit , quia infinitum præsttit.
Tum 2. gestat hæc expromissio absolutam & plenissimam ,
primorum debitorum liberationem , quam & adversarii ur-
gent , velut de essentia expromissionis. Eam obtinuisse ,
ante actualem Christi satisfactionem , infinita docent utrius-
que Instrumenti testimonia Jes. LIII. 5. *Castigatio pacis no-*
stra super eum , & livor ejus sanitas nobis fuit. Num. XXIII.
Non aspit Deus iniquitatem in Jacob , nec videt perversi-
tatem in Israël. Psal. CIII. 3. *Qui remittit omnes iniquitates*
tuas. Id quod , undecim argumentis , alibi *Theol.* nostræ
lib. vi. cap. vi. §. xxvii. liberius demonstravimus. Por-
ro 3. gestat nostra hæc expromissio , liberationem primo-
rum debitorum , per novationem illam quam descripsimus :
scil. per solutionem , quam expromissio , ut futuram cer-
to certius , ex stipulatione ipsius creditoris & Judicis Dei ,
dixerat , quamque ipsa novatio implicabat , ut constituto
tempore præstandam. Quam ipsi h̄c nobis *ἐξ ἐργασίας* , urgere
solent , velut de essentiâ expromissionis. Sic ergo in divina
hac expromissione , offendimus essentialia ejus omnia.

XXIII. Quia secundò , fideles V. T. ante actualem solu-
tionem , plene & plane liberati agnoscantur ab omni reatu ,
ab omni peccati , peccatis suis competente , ab omni imputa-
tione , commemoratione , exprobratione : quando nim.

recepti sunt in cœlum, inque absolutam perfectissimamque ejus beatitudinem. Cum autem hoc factum nequaquam fuerit, nec fieri possit, vel ex mente ipsorummet nobis hic oppositorum, per simplicem fidejussionem: manet hoc factum fuisse, per expromissionem talem, quæ satisfactio-
nem implicat, ut præstituto tempore præstandam.

XXIV. Accedat tertia ratio: quia, agnoscentibus Fratribus ~~etiam~~ ~~meritorib~~, post factam & admissam sponsonem, in potestate Dei creditoris non amplius fuit, penam peccatorum commissorum, ab ipsis peccatoribus exigere, eoque reatus ipso facto ablatus fuit: implicat enim, reatu adhuc dum in peccatore hærente; non posse ab eo exigi solutionem, ideo quod reatus iste, suâ naturâ, non sit nisi obligatio ad penam, quam creditor exigere potest. Agno-
scit penam ab ipsis peccatoribus non potuisse exigi, Cel.
Coccejus de fœd. §. XCVI. & XCVII. Nam inquit, Σίλη-
μα πνεύματος αἰώνιος, voluntas Spiritus æterni, quæ se ob-
tulit Patri, est immutabilis. Heb. X. 10. & IX. 14. Sermo
jurisjurandi, constituit Sacerdotem, διὸ εἰς αἰώνα τετελεῖμφεν,
filium in æternum consummatum, ac fædus Dei, cum
Abraham & Patribus, fallere non potuit: frustra enim cre-
didissent. Heb. VI. 13. Luc. I. 73. Idem, & nonnihil etiam
clarius, dicit §. CLXXI. Sponsoris intentio est, ut principalis
debitor liberetur, usque adeo ut, si debitor hoc beneficio uti ve-
lit, à creditore conveniri non possit. Jam autem, ubi creditor
debitum non amplius exigere potest à primo debitore; ibi,
ex ipsis adversariorum hypothesibus, non est fidejusso;
sed expromissio.

XXV. Ex dictis agnoscat Lector, quantum valeant dif-
ficultates, expromissioni hactenus explicatae, moveri so-
litæ. Nim. 1. Quod justitia Dei non requirat novationem in
hoc negotio; ergo nec expromissionem: hac enim non est sine
novatione. Resp. Justitia Dei, non requirit illam novatio-
nem, quæ est in expromissione humanâ, oriundam ab
imper-

imperfectione contrahentium, eam quæ possit divelli à solutione: ergo & divinam illam novationem non exigit, quæ est perfectissima, quæ solutionem implicat, infallibiliter præstandam; qui coheret? 2. *Justitia Dei urget satisfactionem pœnalem, consistentem in passionibus, ut liberentur peccatores*, quæ non est in expromissione. Resp. Illa satisfactione pœnalis, consistens in passionibus, continetur in expromissione, ut, ex constitutione partium, Patris & Filii, infallibiliter præstanta. 3. Quia expromissio liberat actus reos, substitutione novæ obligationis, non habità ratione, nec vi sequentiis solutionis. Resp. Hæc divina expromissio, quia implicat certam & infallibilem solutionem, ex placito ipsius creditoris Dei, suo tempore futuram, omnino liberat reos; non per substitutionem novæ obligationis; sed per involutam solutionem futuram. 4. Quia bac de causa, expromissor, tempore solutionis, dicitur tantum solvere pro se ipso, non pro aliorum peccatis & debitis, & ipsius solum est debitum, per novationem. Pro eo nullus potest dici solvere, à quo debitum penitus est remotum, & cui solutio ad liberationem non prodest. In expromissione, solus expromissor est debitor, & se solum sua solutione liberat. Resp. Divinus noster expromissor, tempore solutionis, satisfecit pro illo debito, quod per expromissionem in se suscepérat, adhuc dum in se existente: illud autem debitum, non suum fuit, nisi per expromissionem; sed nostrum. Proinde, solvendo, non pro se, sed pro nostris peccatis solvit. Quamvis autem fideles V. T. ante actualem solutionem fuerint liberati; non tamen fuerunt absque solutione, per expromissionem Filii Dei, infallibiliter futurâ. Tandem 5. Quia in expromissione, prior debitor, est plenissime liberatus, manetque talis, etiam si expromissor sub onere solutionis deficeret: ast de nostro statu docet Paulus contrarium. 1 Cor. XV. 17. Resp. Non potuit in divinâ hac expromissione, expromissor sub onere solutionis deficere. Nec Paulus loco citato contrarium docet, sicut supra ex professo docuimus.

XXVI. Jam, si æterna Christi sponsio, perfectissima est expromissio; consequitur; fideles V. T. perinde perfectam habuisse, peccatorum suorum remissionem, ac nostra est sub N. T. nisi quod illi suam habuerint, propter solutionem præstandam; quando nos habemus per præstitam: fuisse etiam perfectissime liberatos ab omni reatu: omnibusque reatus consecutiis: irâ Dei, servitute, exprobationibus &c. Dum enim æternâ hac expromissione, omnem causam, omnemque reatum, peccatorum electorum omnium, simul & semel in se suscepit Filius Dei; non potuit eo ipso non liberare ab omni reatu, omnibusque reatus appendentibus ac dependentibus, eos omnes, pro quibus expromisit. Proinde nullum etiam, apud Scripturas quidem, agnoscimus discrimen, inter πάπειον & ἀπόστολον. Si quis tamen, pro suo arbitrio, sic inter duas istas voces velit distinguiere, ut πάπειος perfectam quidem sonet peccatorum remissionem; verum propter solutionem præstandam: ἀπόστολος autem, eandem remissionem, propter solutionem jam præstitam, non repugnabimus.

Annexa Defendantis.

- I. *Iesum Christum esse verum Deum*, aff.
- II. *Eumque vocari filium*, propter arcanam & ineffabilem ex Patre generationem.
- III. *Oportuit ipsum*, ut *Mediator esset*, simul verum Deum & sanctum hominem esse, quo pro peccatis nostris satisfacere posset.
- IV. *Eumque esse unicum illum Sacerdotem*, quia propriè dictum obtulit sacrificium, secundum ordinem Melchizedecii.
- V. *Absque quo non potuit satisfieri justitia Dei*, pro nostro reatu.
- VI. *Quod sacrificium tam efficax fuit*, ut Patres sub V. T. nequaquam sub reatu & execratione, legis fuerint.
- VII. *Sed veram & plenam peccatorum suorum omnium remissionem*, vi solutionis suo tempo e future, obtinuerint.
- VIII. *Atque iam perfecta fuit hæc Christi satisfactio*, ut nullus post eam, vel satisfactionibus humanis in hac vita; vel purgatorio post hanc vitam, locus esse possit.
- IX. *Eamque factam esse*, non solum nostro bono, verum nostri etiam loco.
- X. *Non pro omnibus tamen & singulis hominibus*: sed pro electis tantum.

F I N I S.